HRABANUS MAURUS
Österreich, 12. Jh.
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26054
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Cap. 6.

31 uetera et iam nolentibus cadunt. quia omnis caro fenum et claritas homi
nis ut flos feni. Aruit fenum flos eius decidit arca dni manet in eternum.
Secretum scilicet testamentum regni celorum ubi est uerbum dni in eternum.
Cap. 6 Fuit ergo arca dni in regione philistinorum septem mensibus. Septem menses
quibus arca dni inter gentes fuit figuraliter exprimunt uniuersitatem temporum
que septenario numero dierum discurrit. Et significat testamentum
dni usque ad consummationem seculi in gentibus permansurum. Et uocauerunt
philisti sacerdotes et diuinos dicentes. Quid faciemus de arca dni indica
te nobis quomodo remittemus eam in locum suum. qui dixerunt. Si remittitis
arcam dni israel nolite dimittere eam uacuam. sed quod debetis reddite ei pro
peccato. et tunc curabimini. et scietis quare non recedat manus eius a no
bis. Qui dixerunt. Quid est quod pro delicto reddere debeamus ei. Responde
runtque eis. Iuxta numerum prouinciarum phylisti. quinque anos aureos
facietis. et quinque mures aureos. quia plaga una fuit omnibus uobis et
satrapis uestris. Facietisque similitudines anorum uestrorum. et similitudi
nes murium qui demoliti sunt terram. et dabitis deo israel gloriam. si forte
releuet manum suam a uobis et a diis uestris et a terra uestra. et reliqua.
Quinque ani aurei et quinque mures similiter aurei quos fecerunt phylistei
pro plaga quam perpessi sunt. et adtulerunt ad arcam dni. significat
quod quidam carnales quinque corporis sensibus dediti. et illecebras
uoluptatis sequentes cum correpti fuerint a dno. scelera sua
cognoscentes. ipsas plagas iuste se perpeti a dno confitentur.
et licet coacti studium uite sue meliorandi impendunt.
Quod bene significant quinque ciuitates phylistinorum. idem ahotus.
gaza. ascalon. geth. accaron. Illos uidelicet exprimentes qui ex
teriores hominis actus secuntur. Gaza ciuitas est heueorum. in qua
habitauerant capadoces. pristinis cultoribus interfectis. Apud uete
res erat terminus chananeorum. iuxta egyptum. ceciditque in sortem
tribus iude. sed eam tenere non potuit. quia enachim. idem gygantes